



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Panegyricus Ludovico Magno Batavorum Victori**

**Letrosne, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1673**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12267**



6


X XI. 37.

Th. 5796.


H XI

23









PANEGYRICUS  
LUDOVICO  
MAGNO  
BATAVORUM VICTORI  
DICTUS

Lutetiæ Parisiorum in Collegio Claromontano  
VI. Non. Octob. an. MD. LXXII.  
A JOANNE BAPTISTA LETROSNE,  
*Societatis JESU Sacerdote.*



PARISIIS  
Excudebat SEBASTIANUS MABRE-CRAMOISY,  
Regis Typographus.

---

M. DC. LXXIII.  
CUM PERMISSU



PANEGYRICUS  
LUDOVICO  
MAGNO  
BATAVORUM VICTORI

Permis d'imprimer. FAIT à Paris le 9. Janvier 1673.

Signé, DE LA REYNIE.

Luceus Parisiorum in Collegio Claramontano

VI. Non. Octob. an. MD. CCLXXIII.

A JOANNE BATTISTA LETROSNE

Societatis IESU Sacerdote.



PARISIIS

Excudebat SEBASTIANUS MARE-CRAMOISY,

Regis Typographus.

M. DC. LXXIII.



PANEGYRICUS  
LUDOVICO  
MAGNO  
BATAVORUM VICTORI  
DICTUS.



OLENNIS hic primus illuxit  
Academiae nostrae dies, VIRI  
ILLUSTRISSIMI, ex quo  
Gallia de hostibus, Religio de  
haereticis, de utrisque LUDO-  
VICUS MAGNUS, domitâ Bataviâ, trium-  
phavit. Cujus adeò incredibilis triumphus fa-  
mâ excitatae gentes omnes, cum victoris no-

A

men virtutésque, non nosse solùm, sed laudibus etiam ornare gestiant: an flagrante publicis gaudiis totâ Galliâ, Europâ gratulante, Orbe terrarum applaudente universo, uni oratores conticescerent? Me quidem, qui nec eloquentiâ satis, & ingenio parum possum, cùm rerum à Rege præclarè gestarum inaudita magnitudo ab oratione deterret; tum si singula, quæ nec rerum universitas nunc capit, nec capiet posteritas, brevissimo spatio temporis complecti me dicendo oporteret: sermonem institutum abrumperem, putarémque inter tantam, tamque insolitam trophæorum, monumentorumque claritatem, nec mihi, nec oratori cuiquam disertissimo locum esse. Sed me dicere incipientem ad sese rapit Galliæ victricis Religionisque gloria; quam ego, nisi haberi parùm pius in utramque velim, tacitus præterire nullomodo possum. Cogit Regia Majestas ab importunâ Batavorum ferocitate vendicata; cujus injuria, ut ad omnes Gallos pertinuit publicâ justissimi doloris atque iracundiæ significatione, ita ultio jure armorum repetita, postulat & communem & publicum esse sensum lætitiæ gestientis. Denique me recreat & reficit non imago solùm triumphantis Regis, sed ipsum etiam nomen LUDO-

VICI, qui dum ubique à me MAGNUS vobis repræsentabitur; si fortasse minùs expectationi vestræ respondero, tenuitatem orationis meæ amplitudine suâ, splendore, dignitate compensabit.

Patere igitur, REX INVICTISSIME, ut quemadmodum Deus uno eodémque verbo se, quantus est, omnino comprehendit; sic te, quem præcipuè MAGNUM probat belli Batavici gloria, hoc unico nomine proponam omnibus gentibus & posteritati aspectabilem. Quâ laude, quamvis, ut videtur, nihil sit brevius: nihil tamen profectò, ne supremi quidem ad commendationem Numinis, esse magnificentius potest. Nec enim eum Regem appellari Magnum meritò putamus posse, in quo summa omnia non fuerint Regiæ Majestatis ornamenta. Quamobrem erit vis tanta hujus tui gloriosissimi nominis; ut hoc qui legerint, audierint, sermone usurpaverint, ii tua divina facta, tuas victorias, tuos triumphos, & loqui, & audire, & tanquam in speculo cernere, sibi videantur. Omnes quidem antea qui à te meminissent extincta civilium bellorum incendia, regnùmque tuis sapientissimis legibus constitutum, te Regem Pacificum, te Patriæ Parentem, te Principem Optimum, te

Religionis Defensorem, alii aliter appellandum esse contendebant. Atque hæc magnifica sanè sunt, tuisque magnis virtutibus debita nomina; sed tibi cum multis communia: aliquid autem tua singularis præstansque virtus sibi maximè proprium vendicabat. Quare domitis debellatisque Batavis, ipsa victoria non Gallis solùm, sed omnibus etiam gentibus, quasi signum aliquod sustulit, ut te communi animorum consensione MAGNUM appellarent. Acquiescet deinceps posteritas in eo nomine, in quo qui oculos defixerint, alii exempla fortitudinis, quæ sequantur, alii sapientiæ atque religionis, alii clementiæ; omnes maximarum virtutum expressam imaginem recognoscent. Acquiescit verò præcipuè nunc temporis Religio; acquiescunt Galliæ ordines omnes, qui sibi nec uberiolem unquam, nec gloriosiorum victoriarum segetem obvenisse recordentur.

Hoc enim contendo, Auditores, cum nunquam antea per Reges Christianissimos, aut Gallia de hostibus suis gloriosius, aut Religio de hæreticis magnificentius triumphaverit, Regem bello contra Batavos feliciter gesto jure MAGNUM appellari. Quod dum ostendam breviter, ut me dicentem benignè, attentèque

audiatis, & Regis, & Galliæ, & Religionis dignitas quasi suo jure postulat.

Quonam fato fieri dicam, ut qui hæcenus Imperatores gravissimo antiquitatis judicio MAGNI præcipuè appellati sunt, ii non nisi jure armorum, quæ ferro, cædibus, incendiis funestissima esse solent, hoc magnificentissimum nomen fuerint consecuti. Triumphavit enim de Persis Alexander; triumphavit Cneius Pompeius de Hispanis: Constantinum etiam accepimus de Maxentio triumphasse; Theodosium de Afris, Sarmatis & Alemannis; Carolum de Longobardis & Saxonibus; denique de Gallis rebellibus Henricum Quartum. Quorsum hoc divinum nomen, cujus in societatem fortissimi Viri & summi Imperatores venerunt, esse oportuit, & fructum cruentissimæ victoriæ, & domitarum gentium quasi vectigal sempiternum? Hoc nimirum ita accidit, quòd fulmina bellica, fremitus armorum, tubarum sonitus, apparatus militaris, expugnationes urbium, dum potentiam, & majestatem, & divinitatem quandam victoris Deum fulminantem imitantis, præ se ferunt; metum, venerationem, admirationem animorum concitare videantur. Idque prætereà etiam facit natura rei bellicæ, quam furor armorum terribilem, partium

utrinque dimicantium potentia maximè arduam, incertissimi pugnarum exitus ancipitem declarant. Quemadmodum enim in Navium gubernatore quàm sit diligens perfectaque ars navigandi, eò certiolem facimus conjecturam, quò tempestates, quas rei maritimæ scientiâ eluserit, sæviebant vehementiùs: ita Imperatoris virtus quanta sit, & anceps fortuna belli, & atrocissimæ armorum tempestates, demonstrant. Etenim ut armis hostium fortissimorum potentia comprimatur, cùm singularis in comparando bello sapientia, incredibilis in gerendo magnitudo animi, summa in conficiendo felicitas, requiritur: tum hæc tria, si perfectè in unum eundemque virum cadant, est profectò magnum aliquid ac penè divinum.

Hoc igitur fato Respublica Batavica, opibus atque armis potens, LUDOVICUM Regem ad bellum provocavit, ut pugnanti victorias, victori triumphos, triumphanti nomen, quo nullum aliud fingi excellentius potest, tandem aliquando appareret. Atque ut primùm intelligatis, tantùm inde nobis Gallis partum esse gloriæ, quantùm nunquam olim antea obtigerat: perpendite, quæso, mecum, quibus, quantisque opibus, quantâ rei maritimæ famâ, quàm gravi apud omnes gentes autoritate Batavo-

rum natio niteretur; tum quàm sapienter, quàm strenuè, quàm feliciter, gentem potentissimam Rex domuerit, cognoscetis.

Batavi quidem primùm, si nascentis Reip. originem inquirimus, parum armis atque opibus poterant, multùm fastu & audaciâ. Nam quò promptiùs, validiùsque iniquissima Reipubl. constituendæ consilia corroborarentur, (sive hoc ipsum ambitiosâ quadam rerum novarum cupiditate, sive illorum iniquitate temporum, quibus nationes ferè omnes cæco quodam impetu ad arma convolabant, sive luctuoso aliquo alio fato acciderit,) ii & Philippi Regis, & Ecclesiæ Romanæ auctoritatem excusserunt, ut Regis & Religionis deposito jugo, terrâ marique tanquam prædones sine Rege, sine Lege, sine Religione, sine Deo, impunè grassari vellent.

Quid non audeat & possit meditata rebellium populorum temeritas, si quando nec humanis, nec divinis Legibus coërceatur? Audacia superbiam, superbia auri atque argenti cupiditatem; cupiditas, superbia, audacia, effrænata regnandi libidinem tam repenti in Batavis concitarunt, ut ii (quæ superiorum querela temporum fuit) perturbationibus ejusmodi quasi furis agitati, per maria omnia, terrâsque omnes,



nullis certis legibus astricti volitarent, spe jam atque animo utriusque Indiæ divitias, Imperiorum omnium majestatem, immortalitatem nominis, hac sibi propositâ Reipublicæ imagine præsumentes.

Quare opibus tantùm posse cœperunt, ut jam non naves, sed classes; non Urbes, sed Regna; non Colonias, sed Imperia, ubique gentium numerarent: tantùm verò armis & rei maritimæ scientiâ, ut primùm cum Hispanis, deinde cum Lusitanis, tum cum Barbaris, postremùm cum Anglis, de maris imperio dimicarent, sæpius victores, rarò admodum victi, Persis, Indis, Japonibus, superiores. Denique tantùm autoritate poterant, ut veteri Reipublicæ Romanæ exemplo cum se Regum arbitros palam & impunè jactitarent; tum Haga, quò Legati undique à Principibus confluebant, quasi mens quædam publici omnium gentium consilii, Amstelodamum verò omnium Indiæ atque Europæ divitiarum sedes, Batavia ipsa vulgò Reipublicæ absolutissimæ imago crederetur.

Ac quoniam homines in altissimo gloriæ loco positi rarò admodum consistunt, seque blandienti fortunæ permittunt intemperantiùs, neque aut superiorem pati quemquam, ac ne  
parem

parem quidem possunt. Batavi, quibus regium nomen visum semper antea fuerat Reipublicæ inimicissimum, cum sæpenumerò Regibus, ne quid eorum dignitas incrementi acciperet, bella olim gravissima intulerunt; tum recens in LUDOVICUM, cujus in dies autoritas potentiæque augebatur, partim maledictis, partim privatis publicisque litteris, partim per Legatos Europam concitarunt universam. O labem superiorum temporum! Est inventus ante hanc ætatem nemo, qui hanc audaciæ arcem, hoc superbiæ propugnaculum, hunc regiæ majestatis scopulum, ne quid atrocius dicam, aut rescinderet omninò; aut multiplicis hujus capitis immanem potentiam coerceret. Quanquam id ne Majorum nostrorum vitio tribuatur, quod est necessitati fortasse tribuendum; aut hujus rei potestas, credo, semper antea defuit; aut fuit vis illa factorum, à quibus sua sunt Imperiis certa quædam constituta tempora, præscriptique limites; aut, si magis placet, hoc ipsum utrumque in causa fuit, cur omnes ab expugnationis Bataviæ consilio deterrerentur.

Atque ut quanta inesset in re difficultas, oculis subjiciatur; quid facias istis hominibus, quos terrâ, marique adire si velis, vix audeas tamen, aut etiam possis? Qui si mari

B

oppugnabuntur, continuò navium sexdecim millia, quæ nunc habent, tanquam vultures ad certam prædam paratissimi ex omnibus oris advolabunt. Si terrâ erunt ad eos transportandi exercitus; quot figendi gressus fuerint, tot etiam arces erunt, tot urbes, tot propugnacula, paludes, lacus, fluvii, maria superanda: ut ea regio terrarum situ, Oceano, Sideribus, Cælo ipso, defensa esse videatur. Hæc igitur altera Troja Achillem, hæc Carthago Scipionem, hæc Roma Cæsarem cùm postulabat, tum expugnatio Batavica uni debebatur LUDOVICO, quem sua divina virtus, & mari, & terris, & astris, quodammodo præficiebat huic rerum universitati regendæ jamdudum parem.

Et verò Rex cùm per summam injuriam esset à Batavis laceffitus, venit, vidit, vicit. Nimirum, ne quid retardatio de Regiâ dignitate detraheret, venit tandem, primùmque, si potestis, considerate venientem, qui cursu aquilam, erumpentem ex alveo fluvium celeritate, vim fulminis impetu superavit. Vidit prætereà hostem, & quidem iis oculis, aut quodam quasi lumine vidit, quo sol ipse fulgura, tonitrua, tempestates excitat, improbis, rebellibus, orbi terrarum universo, formidandas.

Vicit verò, quod incredibile dictu est, instar vehementissimi cujusdam turbinis, & montes, & sylvas, & propugnacula, & arces, & urbes, uno eodémque tempore pessundantis. Videlicet eò Batavi gloriæ venerant, REX INVICTISSIME, quò præcipites ruerent altiùs; nos verò Duce te sublimiùs eveheremur. Se Regum omnium arbitros, se rerum atque fortunarum moderatores prædicabant; quò tibi Victori gloriosiore triumphum captivi adornarent. Persas opibus, Turcas potentiâ, Romanos tum auctoritate, tum rei maritimæ famâ, vincere se gloriabantur; ut Persis, Turcis, Romanis, superiores auspiciis tuis Gallos victi aliquando agnoscerent. Et dubitatis adhuc, Auditores, eum Regem appellare M A G N U M, qui domitis debellatisque Batavis, nominis nostri gloriam in luce orbis terrarum collocavit.

Nunc enim quantùm sapientiâ, quantùm fortitudine, quantùm felicitate possimus, & intelligunt gentes omnes, & intelligendo extimescunt.

Atque ut de Regis sapientiâ in comparando bello primùm dicam; tum profectò bellum geritur sapienter, cùm seu diligentia, seu consilio atteritur hostium potentia, calliditas solertiâ superatur, infringitur autoritas industriâ: geritur

etiam prudenter, cùm latent consilia Imperatoris, quæ si magna erunt, eaque occulta, admirabiles eventus consequuntur; si nulla, metum tamen & expectationem concitant; sin ardua simul, & manifesta, evanescent.

Erat Respublica Batavica opibus potens; quis atterat? Erat vi consiliorum callidissima; quis illudat? Erat non autoritate suâ solùm, sed Regum etiam sociorum, ac præsertim triplici societatis inita vinculo metuenda; quis Alexandrum Magnum imitatus, nodum ejusmodi, quo vis fatorum tenebatur, aut expediat omninò, aut rescindendo eludat? Atteret, eludet, infringet LUDOVICUS Magnus, qui Alexandro prudentior, Ulysse solertior, Cæsare nihil inferior, quò minatur minùs, eò gravius aliquid majusque meditatur. Silet quidem diù multùmque, & absque ulla iracundiæ significatione silet: sed silentium Regis sapientissimi, & sapienter irascentis, exhorrescite, Batavi. Quò vis caloris in terræ visceribus est occultior, eò cùm exardescere primùm cœperit, ardentius in ignes atque incendia, latiùs in agrorum ruinam, luctuosius in cladem populorum erumpit, nullâ re postea potiùs, quàm domorum, arcium, montium, sylvarum, civitatum everfionibus, manifesta. Nec atrociùs unquam sævit tempe-

stas, quàm cum pacato antea & sereno cælo  
repentè concitatur. Rex igitur tùm cum Ba-  
tavi procaciùs exultabant, & iratus & pacificus  
quodam quasi leonis formidando silentio tan-  
diù conticuit, quandiù pacem, cujus autor  
fuerat, potuit cum dignitate retinere. At post-  
quàm intellectum est tam singulari patientiâ  
corroborari hostium audaciam, exarsit tandem  
inferendi belli ardore, jamque armorum repen-  
tino rumore, quo gentes omnes concitatae sunt,  
hostes atterere ita cœpit, ut penè omnis apud  
eos mercatura, quâ plurimùm possunt, con-  
quiesceret. Ita illudit, ut quoniam rueret vis,  
tempestasque armorum, etsi postea senserint,  
minùs tamen antea homines sagacissimi præ-  
viderent. Ita verò auctoritatem infregit, ut An-  
glos, Suecos, Rhenanos Principes à Batavo-  
rum societate distractos sibi omninò per Lega-  
tos conciliaverit.

Itaque hoc tantum foedus, quod Reges  
potentissimi componebant; quo cursus, ut  
dictitabant, retardabatur Solis; cujus tri-  
plex vinculum auri Batavici vis magna  
astringebat; contemplante è Germaniâ Impe-  
ratore, trepidantibus Hispanis, Batavis fre-  
mentibus, est omninò dissolutum. Proh Deus  
immortalis! tantamne unius hominis penè di-

vina sapientia tam brevi tempore lucem afferre rebus nostris potuit, ut qui modò Principes jugulis nostris, ne quid moliremur, mucronem intendebant à Batavis excitati; ii nunc contra Batavos & arma, & classes hortatore LUDOVICO converterint? Quid non moliatur deinceps Rex armatus, cum inermis & pacificus tantùm possit!

Atque ea studia populorum, easque Principum voluntates, dum foris per legatos LUDOVICUS regebat, rerum omnium atque animorum sapientissimus moderator; ipse domi Bataviam in tabulis descriptam tanquam uberimum victoriarum campum oculis usurpabat; suasque ipse priùs legebat pugnas, & victorias, quàm aut pugnaret, aut vinceret, aut etiam pugnare ac vincere velle fortasse putaretur. Ornabat classes, transportabat exercitus, instruebat aciem, oppugnabat urbes, temporum, fluviorum, locorum, opportunitates perscrutabatur, certissimam quandam belli gerendi scientiam, partim ex rerum præteritarum memoriâ, partim ex præsentium imagine, partim ex futurarum conjecturâ, mente atque cogitatione complexus. Quæ diuturna meditatio erat quasi hominis in supremo monte positi; qui divino spiritu affla-

tus, tempestatum conversiones, Imperiorum fata, fortunarum mutationes in astris spectator scientissimus speculatur. Quo tamen contemplatore otioso sapientior in eo Rex fuit, quòd fata legeret Bataviæ non speculator solum, sed etiam arbiter & moderator, providentiam imitatus supremi Numinis, de mundo, antequàm produceretur, ita cogitantis, ut hoc divinum opus quasi ludendo postea profunderet.

Quare mirum videri non debet, quòd Rex in eo tanto exardescens belli strepitu, qui postea excitatus est, inter tot Civitatum expugnationes, in tantâ negotiorum mole nihil unquam egerit temerè, nihil per inconsiderantiam, nihil per præcipitem animi motum, omnia autem in perpetuo victoriarum cursu sapienter & moderatè. Nimirum hoc divinitus acceperat, eum esse sapientissimum Imperatorem oportere, qui astris, hoc est animis, atque animorum perturbationibus dominetur. Dominabatur autem ita, ut nunquam aut copia rerum major, aut severior disciplina militaris, aut prudentior Ducum atque Præfectorum delectus, aut constantior voluntatum atque animorum consensus fuerit. Ferebantur uno eodémque impulsu du-



centa ferè hominum millia, sive castra moverentur, sive conquiescerent, utpotè à LUDOVICO MAGNO, tanquam ab uno capite, atque mente, sapienter temperata. Neque astrorum, etsi multiplici cælestium mentium virtute agitentur, aut ortus magis rati, aut cursus certiores videbantur. Rex enim à quo in numerosissimum exercitum motus omnis proficiscebatur, omnia regebat, omnia intelligebat, omnia prospiciebat, ut animus, mens, caput cæterorum, ita domesticum juxta ac publicum oraculum; cujus vim, atque perspicaciam præsertim in coetu de rebus bellicis habito, dum ipse belli fortunam nutu, consilio, gravitate, moderabatur; & veterani milites, & Præfecti castrorum, & Duces admirati, aliis quidem, ut in re bellicâ prudentiæ fastigium assequerentur, consensendum esse prædicabant, Regi verò, sicut oraculis, nullos ætatis gradus esse constitutos, Solique, sive oriatur, sive occidat, constantissimum esse lumen & maximum.

Quanquam cùm Rex implicatissima expedite, obscurissima quæque sine ambagibus, multa paucis explicaret; non illum cum oraculis, quæ ambigua esse solent, sed cum Deo, qui multa & ardua tam breviter, quàm dilucidè  
compre-

comprehendit, conferendum esse puto. Quæ laus singularis sapientiæ, si vobis suspecta videbitur; milites, tribunos, duces, qui divinum illum virum non viderunt solùm, sed etiam audierunt, interrogate. Hoc omnes testantur, hoc prædicant, Regem plus vidisse, quàm reliquos imperatores; tantàmque sapientiam non humano aliquo consilio, sed divinitus traditam accepisse. Quare deleta est illa macula superioribus bellis suscepta, quæ jam infederat, ac penitùs inveteraverat in nostro nomine; nos temeritate plurimùm, prudentiâ & fortitudine parum posse: nunc tandem sintne prudentiores Galli, an fortiores, & disputant inter se gentes omnes, & posteritas ipsa, mihi credite, disputabit; vos verò de fortitudine dum dicam, constituite.

Quod ut facilè perspiciatis, Auditores, quàm grave, quàmque periculosum bellum Batavicum esset, recordamini; dum ego, ne singula dicendo persequar, confusam quandam præliorum, victoriarum, triumphorum, imaginem repræsento. Erat Gallis iter faciendum inter nationes nobiscum quidem societate conjunctas; sed tamen plerumque invidas alienæ gloriæ, sibique in tanto belli apparatu fortasse metuentes. Erant per Mosam,

C

& Rhenum, & loca difficillima, deducendi quatuor exercitus. Trajectum superius, ubi constiterant hostium copiæ, quove ruere armorum procella putabatur, adeò munita omnibus præsiidiis civitas, adeò ferox videbatur, ut alii fossas Gallis morituris designarent; alii ferrum acuerent non nisi multiplici cæde fatiandum; alii se ad prædam potiùs, quàm ad bellum gerendum compararent; omnes dictitarent palàm, hanc tantam vim, hos fluctus, hanc belli tempestatem, Trajectensi arenâ compescendam.

Quid expectatis, Auditores, aut quid ego immoror? Rhenobercam, Emmericam, Orsojam, Vesaliam, munitissimas civitates, primo belli impetu uno eodémque tempore obsessas, oppugnatas, captas, in conspectu Trajectensis civitatis, unde tanquam è speculâ Batavi suorum deditionem stupore defixi cernebant, cogitate. Nimirum nova obsidendi ratio terruit obsessorum hostium oculos, qui quocumque incidissent, pristinam oppugnandi consuetudinem desiderabant. Non enim ut antè, aut vallo, aut fossâ, aut aggere, cinctus erat exercitus; sed milites sub ipsis statim collocati mœnibus civitatum, ne galeâ quidem & thorace muniti, ferrum manibus, flammam oculis, cædem vultu, denuntiabant. Non homines, sed leones

videre sibi hostes videbantur, quos suum robur fortissimos, aspectus terribiles, impetus victores, vel ante pugnam præstaret. Videbant inde Turenæum adventantem, hinc fulminantem Condæum, illinc Aurelianensem Ducem in muros irrumpentem, ubique LUDOVICUM MAGNUM, ut in adeundis periculis constantem, in subeundis intrepidum, mortis & vitæ contemptorem; ita nihil à cæteris, nisi majestate atque virtute discrepantem; Gallos nihil non ausuros hoc tanto Duce, nihil iisdem Gallis dimicantibus non posse tam strenuum Imperatorem. Quare ultrò se dedere, quàm pugnare temerè & turpiter vinci cùm maluerunt, tum improvisâ illâ quatuor munitissimarum civitatum deditioe sensit primùm Batavia victorem Regem, audiit Europa, gentes omnes suspexerunt.

Prælusit tamen duntaxat LUDOVICUS MAGNUS huic tragoediæ, quam Batavi risu petulantissimo excitatam, nunc vellent æternâ oblivione sepeliri. Jámque Rex, quoniam esse Batavia videbatur quoddam quasi theatrum magnis actoribus, & spectatore terrarum orbe dignissimum, cœpit eam in primo limine personam agere, quam deinceps æternitas semper intueatur. Quamobrem nova pericula, novos

labores, novum triumphandi argumentum, animo meditatus, Vahali & Mosâ incredibili celeritate superatis, Cliviensi Ducatu non tam passibus, quam victoriis peragrato, in Rheni littoribus castra posuit.

Obstupuit Europa cum magnitudine consilii, tum rerum futurarum expectatione, vehementer commota: pendebant enim ex traiectione fluvii fata Batavorum & nostra. Erat ejusmodi flumen, quod undique aggeres, propugnacula, insulae, tuerentur: atque illuc, quemadmodum in pectore, si sit mortis periculum, se sanguis omnino colligit, ita Republicae periclitantis copiae omnes confluerant.

Stat igitur Rex, stat LUDOVICUS MAGNUS in littore: inde verò obstat Resp. Batavica, rerum domina, gentium victrix, Regum ferè omnium arbitra: fluit inter utrumque Rhenus, ut victoriae merces, ita victoris famam in Oceanum atque in extremas Indiarum oras fluctu quasi vectigali delaturus. Age verò, REX MAXIME, quam tu dete, quam de nobis expectationem concites, attentè considera. Iisdem enim vestigiis, quae Caesar olim, quae Drusus, quae Germanicus, caeterique duces maximè strenui impressa reliquerunt, cum altiori quâdam

mente præditus insistis, tum superiorum omnium sæculorum gloriam, & præsentium invidiam temporum, & posteritatis gravissimum iudicium, videris, velle unus quodammodò sustinere. Atque inde Rhenus, etsi non suo nomine minùs, quàm ducum illorum præstantissimorum famâ, ubique gentium jam prædicetur: in posterum tamen aut Gallorum clade, aut victoriis tuis, toto terrarum orbe celebrabitur, Ponto, Eridano, Euphrate, illustrior. O flumen Galliaë Bataviaëque juxtà metuendum, alterutri profectò fatale, unius LUDOVICI MAGNI fortunæ expetendum!

Perterreretur animus, Auditores, hujusque traiectioni fluminis exponendæ minimè par, id se posse dicendo diffidit, quod factis præstare nemo audeat, nemo nisi Gallus possit. Quòd olim Cæsar pontem construxisset, quâ legiones Romanæ Rhenum trajicerent, omnibus annalium monumentis commendatur: fortiores verò sunt Galli, quàm, ut aut ponte, aut scaphis, aut navibus, Duce LUDOVICO, indigeant. Immittunt se præcipites in aquas, armâque dentibus & manu prætendunt, de legionibus Romanis singulari fortitudinis exemplo, de Batavis injecto terrore, de aquis ipsis vel ante pugnam triumphaturi. Non Dux

agminis Grammontius, non Princeps Vindocinensis, non Vivonius, non Coalinus, non Subifius, non Lesdiguerius, Nantulietius, Salartius, aut aquarum, aut fluctuum furore retardantur; sed aquis & fluctibus fortiores, cum Cavinio, cum Salesio, cum Beringentio, Dambræo, Nogentio, Briolo, Guitrio, vim vi repellunt, vehementiùs adnatant, gloriofiùs emergunt.

Itaque, Rheno superato, tanta exarsit pugnae & gloriae cupiditas, ut jam nihil milites, nihil tribunos, nihil duces, ne imperatoris quidem iussa coërcerent; tantus ulciscendae patriae amor fuit, ut nemo aut sine vulnere, aut sine victoriâ, aut sine utroque redire ad patriae parentem vellet; tanta vis armorum fuit, ut hostes è cælo tonitru, ex aquis monstra, ex inferis flammæ perfidiae vindices, ruere in Bataviam suspicati, terga cum ducibus continuo converterint. Silete nunc demum superiorum temporum laudatores; cedite, marmora, æra, monumenta litterarum omnia, cedite: qui LUDOVICUM imperantem, qui Condaem cum Enguinæo Duce in hostes irrumpentem, qui Grammontium cum flore nobilitatis modò aquis innatantem, modò cum equitatu in Batavos involantem conspexerunt, ii

nihil à Romanis, nihil à Macedonibus, nihil à Persis, gestum unquam fortiùs fuisse, ne hoste quidem repugnante, prædicabant; Gallósque eos esse, qui ad terrarum imperium occupandum, Duce LUDOVICO, nati esse videantur.

Trajecimus tandem aliquando Rhenum, Auditores, emerimus, evasimus; Batavia non item; quæ ut suos conspexit sudore madentes, præcipiti fugâ perterritos, metu exanimes, & corruit ipsa penè, & uno eodémque die confenuit, in aquis naufraga, captiva in proprio solo, ubique brevi tempore moritura. Non suspiria tamen, non gemitus, non lacrymas, quæ sunt humanitatis atque mansuetudinis indices, imago impendentium calamitatum expressit; sed instar hydræ frustrâ reluctantis partim sibilis, partim exertâ linguâ, partim fremitu horribili, Herculi victori minitabatur.

Rex verò, ne fructum amitteret fortitudinis atque victoriarum, arces, urbes, propugnacula, Reip. morientis superbissima capita, tam celeriter, quàm strenuè, ferro flammisque invasit. Nulla enim ferè arcis obsidio, nulla expugnatio urbis fuit, cui non interfuerit ipse, modò pedes, modò in equo; in vallo miles, dux in agmine, in exercitu imperator, ubique



MAGNUS. Ut etiam in multis, atque inter se maximè distantibus locis uno eodémque tempore pugnare, vincere, triumphare videretur, somni, & cibi, atque omnium deliciarum oblitus, unius immortalitatis memor. Tempus me deficeret, si singula Regis facta, incredibiles labores, vigilias, pericula, exponere aggrederer. Quare, ut brevitati consulam, celeritatem victoriarum, quæ vim fortitudinis indicat, paucis accipite.

Trajecit Rex cum exercitu Vahalim, & Mosam, & Rhenum, Europæ notissima flumina. Occupavit Velaviam, Bataviam, Telonium, Zutphaniam. Cepit Arenacum, Noviomagum, Skinkium, Trajectum inferius, Castrum Sancti Andreae. Atque, ut breviter dicam, quadraginta munitissimas civitates diurnâ Hispanorum obsidione celeberrimas, totidem dierum spatio expugnavit. Hæc omnia quis putet, aut uno mense ab omnibus imperatoribus, aut omnibus mensibus atque annis ab uno imperatore confici unquam potuisse? qui viderunt oculis, vix credunt; qui narrant, admirationem movent, fidem & expectationem superant. O fortunata LUDOVICI MAGNI tempora, cujus non anni solùm, aut menses, diésque, sed horæ etiam,

etiam, momentaque singula victoriis consecrantur! Hoc profectò augurium est, fore ut, qui Lotharingiam uno die, Burgundiam unâ eâdemque hebdomade, Bataviam ferè totam uno & altero mense occupavit; is uno aliquando possit anno terras omnes victoriis peragrare, rapidissimum cursum imitaturus solis, signa omnia cælestia duodecim mensium spatio percurrentis.

Emerge nunc tandem è latebris, quæ te occultant, Insignis Josue, qui Soli tam turpiter illudebas; adeo non retardasti cursum Solis, ut etiam accelerares; accelerasti autem ita, ut Sol ille, quod est antea inauditum, & menses, & dies annis ipsis multò longiores multitudinem victoriarum efficere videretur: hoc disce, Josue, hoc cogita, hoc time, & Solem cole.

Jam verò fortitudini Regis, cui flumina, venti, tempestates, obtemperaverint, quis neget fuisse quasi adjunctam divinitus fortunam? Quæ se terris tantùm continuisse ne crederetur; ita Regem sistebat & præsentem & victorem classi Anglorum, & nostræ, ut Comes Estræus hoc tacito Regis triumphantis tanquam Solis illapsu excitatus, stupenda fortitudinis exempla posteritati relinqueret. For-

D

tunæ tamen, quæ Principi Condæo tantum inviderit gloriæ, quantum nullus unquam imperator fuit consecutus, subirascor. Quamquam cedere te, Condæe heroum Maxime, unius LUDOVICI fortunæ oportuit; ut tuo sanguine imbuta victoria, multò inde vulgarior clariorque existeret. Erat olim Achilles, ut Poëtæ volunt, illo pede vulnerandus, cuius velocitatem tota Asia formidabat; tu victrice manu, quam palmis gravem non Europa solùm, sed ipsa etiam fortuna verebatur. Quòd præterea Longavillæum Ducem florentem ætate, fortitudine inclytum, imperiis destinatum, spem unam Maximæ Domûs, vis fati Galliæ eripuerit; hoc conqueror, hoc doleo, hoc propter vim doloris prætermitto.

Me tamen in primis recreat Dux Aurelianensis, ut Regis frater unicus, ita Regi fratri tum sapientiæ, tum bellicæ fortitudinis laude omnino secundus; delectat intrepida Enguinæi Ducis in periculis virtus; reficit non mediocriter Principum Vindocinensium magnitudo animi, ætate atque expectatione major; me denique jampridem ad sese rapit, & quodammodo absorbet orationem meam Turenæus, ut Regi fidissimus, laborumque & consiliorum omnium particeps, ita rerum

contra Batavos præclare gestarum gloriâ nunquam apud posteros moriturus.

O bellum! Auditores, bellum Regi æquè ac Gallis gloriosum! eamque maximè ob rem superioribus præliis anteponendum: Quòd si quis attentè consideret, aut trajectiones fluminum, aut urbium expugnationes, aut victoriarum celeritatem, aut hostium potentiam; nihil sapientius, nihil fortius, nihil felicius gestum unquam fuisse videatur. Aliis enim imperatoribus sapientia, aliis fortitudo, aliis felicitas defuit; iis verò, qui, quemadmodum olim Carolus Magnus & Henricus Quartus, ejusmodi naturæ fortunæque præsidii usi sunt, quàm longâ serie annorum, quàm cruentis, quàmque repetitis sæpe præliis, ut hostes debellant, opus fuerit, nec Poëtæ canendo, nec narrando Historici, nec Oratores exaggerando satis assequuntur. LUDOVICUS autem MAGNUS absque ullâ retardatione, ac penè sine vulnere Batavos superavit. Nec verò antea, cùm Reipublicæ Batavicæ fama non aliis sit inclusa limitibus, quàm quibus maria omnia, terræque omnes continentur, triumphavit unquam Gallia gloriosius. Etenim, quoniam victores Batavorum sumus, nomen nostrum peragrabit regna omnia, rerumque Batavica-

rum everſio LUDOVICUM MAGNUM in  
conſpectu omnium gentium collocabit.

Reſtat igitur hoc unum, Auditores, ut  
quæ pars eſt orationis altera, breviffimè oſten-  
dam, nunquam magnificentius de hæreticis  
Religionem Chriſtianam triumphaffe.

Quibus olim laudibus ob res Eccleſiæ cauſâ  
fortiter geſtas, & Sancti Patres Constanti-  
num, & Leo Magnus Theodoſium, & Quar-  
ta Synodus Martianum Imperatorem, & Su-  
premi Pontifices mirum in modum Galliæ  
Reges Chriſtianiffimos exornarunt, eaſdem  
ſimul collectas, ut vobis omnibus videbitur,  
jure meritò poſſumus Victori Batavorum hæ-  
reticorum LUDOVICO MAGNO imperti-  
ri. Nam quæ præcipuè cauſa erat, cur alii  
Constantinum, magnificâ quâdam ac ſingula-  
ri voce, Communem Episcopum appellarent;  
alii Theodoſio non Regiam ſolùm mentem,  
ſed Sacerdotalem etiam animum gratularentur;  
ab aliis Martiano applauderetur & Imperatori  
& Sacerdoti; denique divino aliorum oraculo  
Reges Chriſtianiffimi reliquis Principibus ſu-  
periores prædicarentur, eadem nunc profectò  
facit, quare auguſtiſſima illa nomina concedi  
Regi oporteat. Nimirum hoc agebant, ege-  
runtque ſemper imperatores de re Chriſtia-

nâ optimè meriti, ut domitis hæreticis, Religione in libertatem assertâ, eâdemque cum dignitate propagatâ, in supremo gloriæ fastigio Ecclesia consisteret. Quem dignissimum animum idoneis Reip. Christianæ defensoribus non revixisse solùm in LUDOVICO MAGNO, sed etiam crevisse cognoscetis, si quibus primùm ex hæreticis Religio triumphum egerit singulari Regis beneficio, deinde quàm magnificè, servitutis excusso jugo, sit suis sedibus restituta, diligenter consideremus.

Quanquam te potius ipsam considera, Batavia infelix (ut verbo duriore abstinenceam) intelligesque profectò te multò, quàm olim hæreticos omnes, etsi Religioni fuerint inimicissimi, exitiosorem fuisse.

Ut enim illam quasi infantia tuæ labem omnibus annalium Belgicorum monumentis deploratam rursus non sine dolore animi commemorem; tu Religionem à majoribus cum tanto splendore traditam, quàmque te colere omni studio oportuit, domo ejecisti; illam tu optimam parentem è sedibus patriis palam & miserè deturbasti; tu tristes exulantis matris reliquias, ut liberi cum matre interirent, omni contumeliarum genere vexasti. Age enim, quid, ut res Christiana funditus everte-

retur, prætermisisse te tandem dicis? Ubi sanctorum hominum appensæ de more Christiano imagines? Ubi cæremoniarum apparatus? Ubi sacra? Ubi aræ? delubra, sacerdotes, antistites? O scelus! O nefas! Hæc omnia, quibus maximè rebus Religio continetur, tam impiè, quàm crudeliter violasti. Quo verò scelere nihil ne in desertissimâ quidem barbarie excogitari immanius potest; tu quondam Amstelodami Christi Corpus irrisum, atrocissimis conviciis violatum, gladiis appetitum, importunæ militum multitudini dilaniandum impune reliquisti. Sinite me, Auditores, etsi me plura dicturum sim antea pollicitus, luctuosissima illa Ecclesiæ tempora silentio prætermittite. Hæret adhuc infixus animo dolor; quem si rursus pro rei gravitate renovarem, tecta huius Templi exhorrescerent.

Fuerunt igitur hæc initia hæresis Batavicæ, & quasi prima semina implacabilis illius in Religionem odii, ex quo tot tamque diversæ opiniones postea pullularunt, ut in unâ Bataviâ renasci omnes hæretici cernerentur. Nam cum Ichonomachis imagines, cum Eunomianis rectè factorum necessitatem, cum Messalianis vim Sacramentorum, cum Luthe- ro authoritatem Summi Pontificis, cum Cal-

vino Eucharisticum Christi Corpus sustulerunt : ex quo quisque intelligat nullum unquam fuisse monstrum in terris ex tot tamque diversis inter se studiis conflatum.

Fuit quidem illud, quod dixi breviter, aliis quibusdam hæreticis cum Batavis fortasse commune, hoc verò maximè proprium, neque aut cum tyrannorum vexationibus, aut cum ullâ hæreticâ peste comparandum: quòd Hæresiarchæ olim & Tyranni certis se locis continerent; hi autem è paludibus suis, tanquam ex inferorum faucibus in omnes terras egressi omnia turpissimis in Religionem maledictis non sine incredibilei rei Christianæ detrimento polluerint. Testes sunt Sinarum, Japonum, Indiarum Apostoli, quorum in propagandâ Religione ardorem ut Batavi extinguerent, nec vim, nec copiam suffocantium aquarum, quas jam barbari homines paraverant, augendam esse putaverunt; sed aquis, ferro, ignibus, omni suppliciorum genere atrociores contumelias excogitavere. Testes sunt in Canadensi regione, in Africâ, in Americâ sanctissimi illi rei Christianæ Præcones, quos isti, neque gloriæ divinæ, neque hominum salutis causâ, sed prædæ & lucri faciendi cupiditate incensos tanquam prædones,



speculatores, magicis artibus instructos, illuc adventasse palam dictitabant. Atque ut ex omnibus terris longè arcerentur Christiani Heroes; ut omnes omnino intercluderentur aditus; ut Religionis palam & privatim profitendæ facultas adimeretur; quos Magistratus, quos Principes, quos Reges non adierunt? Quos dolos, quas artes, quæ mendaciâ cogitando non affinxerunt? Testes sunt iterum atque iterum omnes oræ, atque exterræ gentes ac nationes, quas non tam hæreticæ pestis invehendæ studio, quàm incredibili in Religionem odio ab amplectendâ doctrinâ Christianâ deterrere omni ope moliti sunt.

Atqui hanc gentem, quæ gloria Religionis summa est, hos Ecclesiæ hostes, hoc genus Hæreticorum hominum, domuit Rex Christianissimus; & ita domuit, ut hac fatali domitoris manu acta in præceps videatur arx illa superbissima, quâ totius Hæreticæ Gentis salus, dignitas, gloria, si qua esse in hæresi potest, omnino nitebatur. Exsiccari tandem coeperunt ii fontes, quorum vis pestifera, & sinus, & freta, & oceanum prætergressa universum, puros integerrimæ Religionis fontes ubique gentium corrumpebat: concussæ omnino sunt radices illius funestissimæ Arboris,

ris, cujus rami longè latèque in omnes terras diffusi, cæli, solis, reliquorumque astrorum aspectum subducere intuentium oculis nitebantur: concidit denique animus Hæreticæ Reip. quæ si moveri rursùm, aut agitari vehementiùs, aut etiam minari cernatur, motus sunt gigantis luctantem animam extremùm exhalantis.

Nunc igitur jacet Hæresis Batavica demissis oculis, dejecto vultu, confecta tædio, quæ Deo, Religioni, Sedi Romanæ minitans, ubique locorum fastu importunissimo impune volitabat. Nunc Christianissimorum signorum aspectu pallet squallidiùs, quæ nunquam erubuit, erubescere semper debuit, propter corroboratam consuetudine audaciam vix unquam potuit. Nunc cibo potùque abstinet, quæ, ut ritus profanæ antiquitatis inter epulandum renovarentur, jejunia Ecclesiastica sustulerat. Nunc Batavia, quæ rebellionis in Religionem fax præcipua fuerat, undique innatat circumfuso oceano, ut illa incendia, quæ vis hæretica excitaverat, fluctibus maris extinguantur. Nunc Amstelodamum inter aquas fluctuat miserè, tanquam navis lacera, ventorum tempestatùmque ludibrium, futura brevi tempore præda cuique obvia; quæ civi-

E

tas, cùm esset Imperii Hæretici sedes, & quasi altera Carthago Romano Imperio inimica, Petri navem nunquam perituram demergere se posse confidebat.

En Imaginem Hæreticæ Bataviæ triumphantis! En Babylonem cælo terrisque minitantem! En Caput Reipublicæ Christianæ formidandum! Agnoscat nunc tandem superba illa Babylon, & Deum è Cælo, & Regem Christianissimum è Galliâ fulminantem: scèque ipsa, si potest, quæ nunc sit, & quæ brevi tempore futura sit, intueatur. Vos verò, Auditores, quoniam, quod genus hæreticorum hominum Rex domuerit, hætenus considerastis; nunc, quâ ratione fuerit Christiana Religio in pristinam libertatem atque dignitatem restituta, cognoscite.

Regi enim, cujus incredibile in hæreticos odium, & sublata Calviniana autoritas in Gallia, & eversa profana templa satis probant, nihil antiquius fuit contra Batavos pugnantem; quàm ut ex Hæresis Bataviciæ ruinis excitata Religio refloresceret. Intelligebat nimirum Religiosissimus Princeps, neque illud regnum stare diu posse, quod Religione tanquam firmissimo fundamento minimè nitetur; neque feliciter & quietè regnaturum un-

quam eum regem, qui subjectas imperio gentes Christo Regum omnium Maximo non asfereret. Quare non antè voluit agnosci se Victorem Regem, quàm captiva Religio vinculis, servitute, vexatione diuturnâ, solveretur. Ex quo fiebat, ut lilia, quæ notæ sunt Regiæ Majestatis illustres, cùm appendebantur in ipso expugnataram civitatum aditu, tum maximè Religionis etiam decora palàm & cum apparatu erigerentur. Hinc jura Galliæ Gallus Præco, inde leges Christianas Orator Divinus promulgabat. Nec priùs Regis tormenta bellica, quàm Religionis oracula audiebantur: hæc Christum cum Ecclesiâ Triumphantem, illa Victorem Regem terris omnibus nuntiabant.

Quâ in re LUDOVICUS imitatus eos Christianissimos imperatores, qui sacerdotio imperium temperabant; ita se Regem in administrandâ Republicâ, ita se Imperatorem in regendo exercitu probabat, ut singulari rei Christianæ augendæ studio Sacerdotem, in templis consecrandis Antistitem, in autoritate Romanæ Sedis asserendâ quasi Pontificem alterum, ubique Regem Christianissimum ageret. Nec enim se, qualis est jure hæreditario, talem esse judicaret, nisi

augustissimas illas dignitates vicariâ quâdam virtute complecteretur; eam præcipuè ob rem ratus armorum usum sibi à legum omnium autore Deo concedi, ut cum imperii finibus Religionis etiam limites propagarentur. Sceptrum, corona, purpura, regiâque omnia ornamenta, quæ Regibus tanquam divinarum & humanarum legum tutoribus divinitus tradita sunt, ut Supremo Numini & Religioni priùs, quàm Patriæ & Regno consuleret, animam Dei Religionisque capacem dies noctesque admonebant.

Quod etsi nobis, REX CHRISTIANISSIME, intellectum antea fuerit in multis, cum olim modò Germaniam, modò Cretam, armis, clasibus, exercitibus contra Turcas adjuvares: tum maximè tamen, cum missis ad te Victorem è domitâ Bataviâ legatis, qui pacis condiciones offerrent, tam Regiè, quàm Christianè respondisti, te de pace non esse acturum priùs, quàm aræ templis, templa sacerdotibus, sacerdotes Religioni, Religio suis sedibus, & Christo Domino redderetur.

O vocem! Auditores, vocem non homine solùm sapientissimo, & Christianissimo imperatore, sed ipso etiam Deo dignissimam! Hanc Superi cum plausu, hanc Roma cum gratula-

tione, hanc orbis terrarum cum admiratione, hanc posteris excipiant æternis litterarum monumentis asservandam: hanc Christiani Principes, Reges, Imperatores, quorum auctoritati & sapientiæ & fidei est Religio cum salute populorum à Deo commissa, non audiant solum, sed etiam imitatione percipiant: discantque cum LUDOVICI MAGNI gravissimo iudicio, tum præcipuè præclarissimo exemplo, rei Christianæ defensionem atque dignitatem suis vel offensionibus, vel commodis, vel gloriæ, anteferre. Quod ni faciant, Regium quidem nomen, Regia ornamenta, Regiam etiam potestatem sibi fortasse sument, munus & dignitatem nunquam.

Itaque, ut, quantum imperio ex victoriis eveniebat gloriæ, tantum Religio acciperet incrementi: dum LUDOVICUS MAGNUS urbes, arces, propugnacula Batavica, Galliæ adjungebat; Cardinalis Bullonius, nihil Perrenio, nihil Richelio, nihil Rupifucaldo, nihil Polo Anglo Cardinale, seu scientiâ, seu perspicacitate ingenii, seu prudentiâ, seu pio in Religionem affectu inferior, polluta templa expiabat, consecrabat profana, parum dociles populorum animos partim nominis famâ, partim oris majestate, partim summarum

virtutum illecebris, Deo, Religioni, Regi, omnino conciliabat. Ac cætera quidem, quæ ubique gerebantur, etsi tantum haberent admirationis, quantum magnificentiæ: nihil tamen fuit aspectabilius, quam quod Trajecti ad Rhenum positi, atque in præcipuis urbibus accidit; ubi Christi Corpus coepit primum circumferri tanto pompæ apparatu, tam frequenti militum, præfectorum, ducum, principum multitudine, tam festis populi gratulationibus, tam celebri tormentorum bellicorum explosione, ut, nec Constantinopoli Constantini temporibus, nec Parisiis Carolo Magno regnante, nec ubique terrarum imperante Theodosio, Religio unquam magnificentius triumphaverit.

E latebris enim suis Catholici Batavi, qui publico caruerant propter iniquitatem temporum, ut olim è speluncis Christiani homines post diuturnam vexationem, prodire cernebantur: nec ætas quenquam, nec valetudo, nec sexus retardavit, quominus unà omnes hujus tam inopinati spectaculi imaginem mentem atque oculos fatiarent. Hoc parvuli visere, adolescentes admirari, senes ostentare; ægri etiam ipsi suorum morborum obliti, in conspectum Christi tanquam ad publicæ salutis fontem adrepere: alii hoc viso triumpho

se vixisse satis, alii sibi nihil ampliùs in terris expetendum prædicabant. O dignum Religione triumphante spectaculum, inferis metuendum, stupendum hæreticis, Christianis victoribus gloriosum, prodigio nihil ab simile!

Erat enim antea Religio instar cujusdam mortui cadaveris, quod tecto & parietibus tanquam sepulcro inclusum, nec luce ampliùs frui solis, nec ducere spiritum posset; cujus luctuosissimum silentium, interclusa vox, sopitæ aures, caligo oculorum, squalor, tristissimam quandam mortis imaginem præ se ferrent; cui, si quid superesset vitæ, hoc idcirco concedebatur, ut quod est ipsa morte acerbius, perciperet sensum diuturnæ calamitatis. Nunc verò, quod præter omnem expectationem accidit, hoc ipsum cadaver centum abhinc annis quodammodo sepultum, è latebris, è tumulo, è pulvere Rex Christianissimus suscitavit. Nunc luce vocæque restituta, ita prodit in publicum, ita loquitur, ita vivit, ut uno eodemque die se revixisse pars magna Bataviæ sentiat, & miretur Christianam: non ab similibus homini, cui à primâ pueritiâ captivo cælum, lux, patria, libertas, salus, improvise restituerentur.



Porro reviviscentis Religionis celebritas tanta fuit, ut jam nec templa caperent multitudinem, nec Eucharistici pabuli esset satis magna copia, nec orandi modus ac finis. Homines cogita, quibus aut fame confectis exquisitissimorum ciborum copia subministraretur, aut siti enecatis fontes uberrimi occurrerent, aut divitiarum cupiditate flagrantibus auri atque argenti fodinae concederentur.

Ac certè, ut primùm Orator divinus è loco superiore loqui velle visus est, cœpitque Christi, Mariæ, Sanctorumque omnium inaudita priùs nomina invocando deprecari; superos, aras, templum, sacros parietes redditæ libertatis testes compellare; suum Religioni, sacerdotibus, virginibus, reditum in Bataviam gratulari: vox amica concionatoris, tanquam cœlestis cujusdam medici sanitatem ægroto gratulantis, in aures totius concionis suaviter illapsa, tam variis, quàm repentinis motibus omnium animos occupavit: ut præ gaudio Matronæ ingemiscerent, pueri è collo pendentes collachrymarentur, nurus in suspiria erumperent, reliqua vulgi multitudo lætitiâ, stupore, admiratione, suspensa, tot rebus partim audiendis, partim videndis, partim cognoscendis, vim omnem aurium, & oculorum,

rum, & mentis, imparem fateri videretur. Nec enim in tanto hujus celebritatis splendore mirari satis omnes poterant, qui esset cæremoniæ apparatus, quæ Sacerdotalis dignitatis gloria, quod decus Ecclesiæ, quæ Religionis majestas, quæ pompa, quæ species, quæ magnificentia rei Christianæ.

Atque hunc tantum splendorem cum latebris suis, hanc libertatis imaginem cum diuturnâ servitute dum conferebant taciti, mutuisque inter se sermonibus de tam repentinâ, tamque prosperâ rerum mutatione discebant: hunc diem, quo restituta esset Religio, anteaactæ vitæ præponendum, mandandum litteris, posteritati transmittendum non affirmabant modò, sed etiam LUDOVICUM MAGNUM hujus diei autorem, esse meritò Patriæ Parentem, & quodammodo salutis publicæ Deum appellandum contendebant. Hoc patresfamilias, liberis auscultantibus prædicare, hoc rerum gestarum scriptores meditari, hoc præter cæteros in communi omnium ordinum lætitiâ percipere foeminæ; cùm se, cùm liberos, cùm familiam intuerentur, suisque usurparent oculis, & cui Principi cives, & cui Imperatori milites peperissent. Jam patria, amicitia, consuetudines, res familiaris, reliquæ fortu-

næ, perinde ac si omnibus iis jamdiu caruissent, ut est ægrotis recuperata valetudo jucundior, ita multò acceptiores, quàm antea, videbantur.

Itaque omnes quidem nunc in iis regionibus Regem tanquam aliquem è Cælo delapsum admirati, credere tandem illud incipiunt, quod multis nationibus jam falsò memoriæ proditum videbatur, Galliæ Reges meritò Christianissimos appellari. Fatenturque ipsi ultrò omnium, qui antea extiterunt, instar sibi esse LUDOVICUM MAGNUM, cujus victoriæ non carcerem, non servitutem, non cædes, sed præsidium, libertatem, salutem denunciarent; cujus in ore, in fronte, in vultu, expressam quandam Supremi Numinis imaginem, in factis verò Religionem Christianam quodammodo triumphantem intuerentur; cui servire mallent, quàm reliquis nationibus imperare.

Mirabantur enim tantum in supremâ potestate rerum omnium modum, tam singularem sapientiam, tam inauditam inusitatamque clementiam, fidem, justitiam, religionem. Quas virtutes ita commendabant, ut, quod olim dixit Orator de Constantino, Deo se putarent obsequi, cùm ei Regi obtempera-

rent, cujus tam augusta majestas, quàm certa divinitas cerneretur. Quamobrem alii palam dictitabant tempora Constantini Magni, & Theodosii revixisse; alii contendebant Regem Religionis causâ plura nunc agere, moliri difficiliora, majora præstare & polliceri; alii cum suis majoribus multò superiorem prædicabant: Clodoveum quidem in Galliâ Religionem Christianam excitasse, excitatam amplificasse Carolum Magnum, amplificatam Ludovicum Sanctum exornasse, denique Justum omni gloriâ exornatam cumulasse: LUDOVICUM verò MAGNUM, qui Religionem in externis regionibus captivam pristinae libertati reddidisset; qui non Rupellam unam, sed quadraginta civitates Christo consecrasset; qui non Saracenos, non Saxones, non Longobardos, sed Batavos Ecclesie atrocissimos, & potentissimos hostes domuisset, Religioni de hæreticis triumphanti gloriam immortalem & majorem peperisse.

Quare, ut finem dicendi faciam, REX CHRISTIANISSIME, si Constantini, Theodosii, Caroli, qui Magni appellati sunt, nunc temporis in terras redirent, nullâ de re potiùs Ecclesie gratularentur, quàm id ipsum magno à te studio agi, præstarique, quod suis

ipsi armis moliebantur : nimirum , ut non in regno tuo solum , sed in omnibus etiam terris Religio reflorescat. Ut mihi propterea nunc etiam Clodovei , Caroli Magni , Ludovici , & quotquot olim solium Christianissimum iustitiâ & sanctitate ornarunt , in cælo letari , Deoque de recenti victoriâ gratias agere videantur ; quas tibi profectò , si coram adessent , quòd cum regno animum Christianissimum susceperis , testarentur maximas : ac se , credo , eam ob rem agnoscerent inferiores , quòd domitâ debellatâque Bataviâ , omnium Hæreticorum arce præcipuâ , tum ad reliquam Gentem Hæreticam exscindendam , tum ad Religionis hostes omnes ubique terrarum profligandos , te natum esse intelligant.

Te verò tua Gallia , quæ plus uno & altero mense gloriæ , quàm diuturnis majorum tuorum imperiis est consecuta , te , inquam , agnoscit , sapientiâ Regem , fortitudine Imperatorem , felicitate Heroem ; sapientiâ , fortitudine , felicitate MAGNUM. Ac cum , te quidem duce , hostes Galliæ & Religionis concident , tum , dum vives , florescet Religio , triumphabit Gallia ; æternum cum utrâque triumphabis.

[D I X I.]
















Th

5796